

F.H.135.

75

Hd
252

SCRIPTIONIS BONA ET RATIONEM
XIII. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS
QVI MAGISTRI CREANTVR

RECTOR MAGNIFICO
IOH. CHRISTIANO HEBENSTREIT
SS. THEOLOGIAE DOCTORE AC PROFESSORE

PVBL. ORD. MAIORIS PRINC. COLLEGII COLLE-
GIATO ET NVNC PRAEPOSITO MAGNO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISS
GODOFREDO HEINSIO
MATHES. PROF. PVBL. ORD. ET MINORIS
PRINC. COLLEGII COLLEGIATO

DECANO SPECTABILI
IOHANNE FRIDERICO MAIO
MORAL. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD. ET MAIORIS
PRINC. COLLEGII COLLEGIATO

CARMINE SOLEMNI ITERVM LAVDAT
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

D. XXIIII. FEBR. A. C. N. CIOI OCC LII

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA





Qui sit fructus agri melior, quae cura, roganti
Pascere ait Cato, ditaret quid deinde colonum,
Quaerenti respondit idem, quae scita secundum
Detulerant pasturae, et primum ac tertium honorem.
Ille sed exemplum agricolae, ciuisque putandus
Vnicus, et censor totius imagine vitae
Verius e factis propriis, quam lege creatus.
Nunc ego diuersis ea rebus dicta frequento,
Ac prope ter non pasturae, sed laudo lucernae
Praemia, quae docta scripti ratione parentur.
Quatenus is calami non horrea compleat usus,
Sed meliorem animum vi possit reddere mira.

Nuper ad ingenii cultum certissima dixi
Scribendo fieri compendia. Talis at usus
Quam late pateat, qua sit ratione regendus,
Et quo fine, docentem adeas nunc. Promta facultas
Eloquii petitur, scribas rediture disertus.
Dicitur orandi stilus optimus esse magister.
Litterulas pure sequeris monumenta legendi:
Aemula lectorum scribendo carmina finge:
Sic demum disces rationis acumina chartis
Perpetuis adhibere, animique notare figuram.

A 2

Ter

III

Ter super ingenio quare consultus idem te
Scribere cum cura bona carmina iussero, vt ille
Pascere ruricolam semper, nec arare, iubebat.

Res ea non tantum quos vis diuinior aufert
Mirifice decet, vt, quidquid conantur, Apollo
Dexter eos tenuisse velit, praeclara que dicitet:
Sed qui tardior est natura, cogat inertes
Sub iuga scripturae sensus, hoc splendeat vsu.
Indolis haud alias melior sit cultus vtrique.

Sunt aliquae, ad quas si paullum diuerteris artes,
Sit satis: hanc habitare velis omnemque tenere:
Hanc studiis credas conferre: nec vtile quidquam
Scriptio prodiderit, nisi longo iteranda tenore.

Ornandis ideo vobis quae summa ferebam
Nuper, nunc eadem celebro omnia: neve minoris
Edendi praecepta labor mihi constet, eorum
Quam vobis cura, vt Musis liter, en, bona duro
Adquisita opere atque opus iniungentia porto.

Vincere Olympia qui cuncta quondam arte parabat
Omnibus exercere modis certamina quinque,
Fortis vt excuteret discum, leuis edere saltus,
Et cursu certare bonus, pugil arduus, idem
Luctator, dum fronde ferae velatus oliuae,
Indice iudicii palma speciosus abiret.

Nunc alio, quem vos mecum decurrere, circo,
Res iubet haec, alia non conditione morandum est.
Exercendus et hic noster super omnia tiro,
Vt simul vnoquoque die studio datus vni
Cogitet, auditique tenax legat, aptet ad vsum
Sermonis percepta, notis ea figere discat.
Haec nisi qui iunctim facit omnia, nullum opus horum
Decerptum recte faciat verae vtile vitae.

Quo

Quo grauior saeuia studiorum lege Minerua
Est mihi, quam caestu validis oleo que palaestrae.
Hanc semel amplexo non sic agitare necesse est,
Omnibus ut certet reliquis etiam artibus, vnam
Sit satis ostendi: doctrinae sedulus orbem
Ingenuae qui voluit, agat nisi quinque modis rem
Quos dixi, turbamque ἐγνύντων artium, agat nil.

Pancratio ingenii duro qui duceris, ergo
Osor eras Bacchi ac Veneris, solitus bona noctis
Tempora non stertendo agere, at vigilante lucerna,
Ingratis vicibus sudare, algereque rursum,
Sollicite prandere velut sub iure magistri,
Exercere modis mentem omnibus, vt bene sensa
Cogitet arripiens, voces audire docentum.
Ut pure sincera velit, retinereque lectas:
Denique vt os declamando formetum ad usum.

Quinque ea si facias, vel quattuor, omnibus horis,
Quoqua die, Phœbi post occasus et ad ortus,
Manca tamen ratio studiorum claudicet, vltro
Ni filius interdit placitis fluitantibus obstans,
In que animo verbis nascentia sensa sequatur.
Litterulae vero tacita miracula voce
Addet vti firmans clavo trans robur adacto.

Nuncius ille hominum facer interpresque deorum
Non aurae soluenda leui iam verbena linguae
Pinxit, at ingenii vitam, certissima rerum
Pignora, et haec memori non eripienda papyro.
Illa leuis calami subtilibus arida filis,
Mox etiam tenui de lino putre coactum,
Marmora vincet et aes durum Chalybumque metalla.

Vos adeo clari studiis, et nomine pulcro
Ornandi ob meritum, quae commentemini in alta
Mente boni verumque secuti inuenta coloris,

A 3

Non

VI

Non intus, velut incertae vaga visa quietis,
Concoquite: at sermone probo de promta notarum
Discite perpetuum lentis bene nectere vincis.
Discite, quae melior pars vestri, hanc figere signo
In libris, vita que noua, quam publicet usus,
Litterulas animis circum dare posse petitis,
Offa velut neruos que retentae in pectore voci.

Huic operi magno sacros pia Musa paratus
Admouet, ingeniiis promtos, vt nunc, vocat, et se
Spondet in aeternae venturam praemia Famae.

Sed sudore opus est recte si scribere tentes,
Firmata que fide sub longi temporis usu.
Nam, veluti lucem transire negabat Apelles
Debere artifici, quin linea ducta supersit,
Linea quae tabulis animos elementa que tradat;
Sic nostri tempus nullum tironis agetur
In tantum studio vacuum pulcroque labore,
Ut nihil extundat scripti foetura recentis.

Attamen ingenti caussam dicture theatro
Quae commentatus iuuenili ardore ferebas
Edere festinans noli. Preme, frange minoris
Luxuriem genii, teneraeque pericula Musae.

Neu dubita flammis primos abolere labores,
Nec plora fato gnati velut anxia mater,
Dum saeuo ante diem commendat corpora busto,
Qualia mirificus memorat se agitasse Petrarca.

Nam genus humanum iudex tibi cogitur, et vox
Vnius haud populi saeclie, sed omnia saecla
Scriptori metuenda sedent tua, siue futura.
Quod sumnum arbitrium doctrinae quisque severae
Impense timuit consultus et experiens vir,
Artibus at variis sperauit ludere ineptus.

Abneget,

Abneget, egregium nisi opus numerisque peractum
 Omnibus, haec lucis discrimina tanta subire,
 Nec ferat aetatem studii liber inscius alti.
 Arte valet, cura que, bona de mente profectus;
 Ingenuum spirans ac diuinos liber ortus:
 Hunc amet, hunc posita defendas Gratia veste.

Multa carent siluae ritu, cui frigora nudant
 Arboreum caput, ac Zephyri noua tegmina portant.
 Tu patitor frondes saevis Aquilonibus vftas,
 Atque simul marcere situ iuuenilia pensa
 Inter vana operum, metuens audire molestus
 Per fora multarum conscriptor quisquiliarum.

Nec nisi Romanos imitatum scribere ius est,
 Aut Graios: caue vulgari clarescere lingua.
 Hoc saepe ingenii non confert: saepe periculum
 Scriptori creat ob vulgo temeraria famae
 Permissa arbitria: et plebi petulanter abusae,
 Publica qua negat esse, exposta scientia noxae est.
 Denique vilescunt semper sic tradita cunctis.

Hinc, nisi certa subest ratio, cauissime iubemur,
 Codicibus quaedam rerum vulgare bonarum,
 Qua nequeunt omnes ferre omnia, multa locuti
 Ad populos, reliquum celare salubriter apti,
 Arcanum tanquam Graii sermonis honorem
 Scilicet, aut Latii celebrabimus ore rotundo:
 Litterulis opus est veris arcere profanam
 More sacri turbam, ac lustrare piamina Musae.

Hanc licet omnino formis coluisse duabus,
 Non multis. Decus hoc linguae non deferat omni,
 Non aliis certa credatur laude disertus,
 Non aliis monumenta fide constante requirat
 Scriptor, ab Ausonio nisi ducat et ore Pelasgo,
 Non aliis hodie censemur promta facultas

Splen-

VIII

Splendorem nitidi quae dat sermonis vtrumque.
His vetus ingenii causam diuferat aetas,
Et studio quas ornarent. Sua dela Venus que
Vtraque credita lingua fuit, non multa, nec extra
Clarum scriptorem temere vllum acremque putabant.

Non Italus quamuis bene notum scribere Hetruscum,
Non Opici Poemue genus sermonis habebat.
Ore Paraetonius sanctae facundus Idumes
Non magis ac Solymus fuit, et si disceret, olim.
Gallica non Gallus, non Poenus Punica verba
Per monumenta notis celebrare: perebat vterque
Voces ante domi natas communia Graia.
Non illi, vario sermone minuta securti
Commoda, multiplici Libethridas ore loquaces
Gentibus, et peplo tradebant versicolore,
Contentas specie dicendi, vt nos quidem, vtraque.

Neue velis contra solitum audax ire nouator,
Litterulis peragi veris numero que faceto
Saepe recens linguae vulgaris caussa repugnat.
Nam neget includi rationis finibus arctis,
Grammaticum que pati, mollique vocabula sensu
Apta tonis, rerum que fide praeclara, referre.

Effera cuiusdam linguae natura remittat
Bellacis populi faciem, ritus que, sonos que,
Qui minus eloquii studiosus tradidit apti,
Arma legens et equos, nil curans verba modos que,
Vultus inest aliis longo mansuetior vsu
Arguti populi, quas docti cura poetae
Paullatim domuit pulcra ratione subactas.

Quae fera sit, linguam nimia vix frangere cura
Exempli vitio possis. per deuia solus,
Ni sapis, incedens frustra decus addere tentes.

Difficile

Difficile est propria conari verba figura,
 Quae iam si redeant veteres laudare Latini
 Ut sua sustineant: tamen haec praeclara facultas
 Paucorum ingenii modo nunc viget, ac fuit olim.
 Sed multo asperius fiat, si plebis ab ore
 Glossarum repeatas abiecta vocabula, legem
 Addere promtus, et insuetas hodie inferere artes.
 Qualis Aristarchos exerceat antlia doctos
 Incassum, innumeros eludere certa minores.
 Vix possis, operae pretium facturus inane,
 Puram de nuper natis extundere vocem.

Fluxa quoque et varia est lingua omnis, cui magis vsus
 Ac monumenta fidem faciunt: audita parenti
 Verba, nisi intereant, maneant temerata nepotem.

Quin habitus alios sermonis vulgus in horas
 Induit, et gratis doctorum cura viororum
 Ut modus adsit, et vt sistant aliquo mala fine,
 Constatim gregibus, multoque sodale, laborant.
 Non venit in turbam rari res illa palati.
 Credulitate neget Galla, neget aure Bataua
 Deprendi, ludat fidentem, legibus obstet:
 Mox positus limes populo luxante fatiscat.

Quid, quod adhuc fordes habet vsque in pelle decora
 Vocis conditio multas praefentis? vt vnquam
 Eluere haud possis. aliud vulgi tenet error,
 Propositum coepitis quamuis audacibus vrguens.
 Nec rigidae numeros addas et acumina voci.

Finge tamen puram ac mollem, finge esse facetam,
 Quis fore communem claramque receperit auctor,
 Perfpicuam que tot in populis, qua conditur, et qua
 Mane redit rutilus Phoebeae lampadis ignis?
 Est, qui perpetuam fore semper, vt ingenii vim
 Aeternam secum seruet, moneatque nepotes?

B

Quod

Quod Latiae voci certe successit vitrumque
Sic penitus generi insertae caussis que sacrorum
Et sectae Christi, ne, quatenus ista manebit,
Sed manet aeternum, queat haec sperare ruinam.
Ante quidem bellis tot Musa Latina petita
Hoc stetit usque, gregi quia commendata piorum.

Non recte sibi persuadent plebeia secuti
Vulgandis edicta libris populi que fauorem,
Post ferros fore lectors, fore grammaticum acrem,
Qui scholis ornet sua tanta inuenta notis que.
Ignari quid res inter vel tempora distet:
Quam iaceant hodie quondam speciosa: quid inde
Venturis vesper vehat: istud nolle poliri,
Quod leue natura vires momenta que nescit.

Nam vacuum virtutis opus, sine pondere mentis,
Nunquam sustineat, si vero examine tentes,
Artis mordacem limam arbitriumque seuerum,
Comminuat ferro tenuem qui tractet opellam.
Ut leuis argillae, qua forte induruit, orbem
Qui cuneis premat et lima faber vrat et vngui,
Marmoreum quasi sic tractura sit illa nitorem,
Nec sic ei textu subtili aut pondere massae,
Aut asia virtute, quod aes fabrile retundat,
Absumat citius, limus quam splendet vnquam.
Non aliter leuibus qui figit acumina chartis.

Quare vos melius, quibus ars decreuit honores,
Non cito quod pereat mansuro scribite libro:
Digna sed ingenii aquaeua que verba, fauentes
Et Regi, et sanctae Regis domui, populoque,
Per pia quae patriae defendant vota salutem.



CAROLVS

CAROLVS HENRICVS BOEHN
VRATISLAVIA SILESIUS

Natus Vratislaviae Metropoli Silesiorum clara et florente anno aetatis nostraræ xxvii, patre Iohanne Ambrosio ciue eius vrbis honorato, curiae in exigendis ad statueram mercibus adscripto, matre Regina Sophia Opitia. Quorum parentum cura cum litterarum rudimentis et sacrorum recte institutus esset, ad gymnasium litterarium patriae Elisabetanum accessit, inque eo profecit multis annis sub magistris Burgio, Schurzmanno, Stifio, Ienio, Deichslero, Weinifiso, Leishero, Abichtio: quibus plurimum ideo se debere gratius profitetur. Lipsiam venit a c. n. ccccxxxvii, scriptus in nostris rectore Maio, et, cum iurisprudentiae studiis se totum daret, eo nomine doctores est sectatus Richterum, Menckenium, Zollerum, et Sigelium vtrunque, sic eis vnius, ut priorum auditor juris ciuilis Romani lineas quasdam ac terribilium capita disceret, historiam iuris et legum Zollerus eum doceret: iuris beneficiarii, et patrii Germaniae, et quod mercatorum chirographa regit, speciem iustam Sigelii. Eorum et Richteri praesertim egregiam in se laudat voluntatem. Praeterea iuri sacrorum discendo se operam dedisse memorat praeceunte Mullero, iuri publico regni Germanici, doctore Cramero: iuri naturae et physicae, Winclero: Historiae Imperiorum Europæ, Ioechero. Denique forensia formamque iudicij ut perspicaret, duce se Richtero item fuisse vnum. Secundum ea superiore anno tabulis publice propositis artium ac philosophiac magister ordinis nostri decreto dictus est.

IOHANNES GODOFREDVS KADE
LEOBINGA THVRINGVS

LIPSIAE LVDO LITTER. AD AEDEM
NICOL. COLLEGA TERTIVS

Leobingae pago in Thuringis praedio nobili, quod illu-
striss. Comiti a Werther subest, regendo praefectus
B 2 pater

XII

pater Ernestus Godofredus hunc filium suscepit ex vxore
 Maria Dorothea Christophori Cunonis, qui sacris eo in
 agro curandis praefest, filia. Natus est autem anno aetatis
 nostrae XXII. Ibi quum idoneis sub magistris litterarum
 ac facrorum rudimenta didicisset, ad Gymnasium littera-
 rium Martisburgi quod exercetur accessit, meruitque in
 eo annis tribus sub disciplina Kupferi artium magistri, cui
 plurimum se debere ait. Post illa Lipsiam se contulit in
 ludum litterarium Thomanum adscitus, vbi altus et ins-
 titutus fide praceptorum, Wincleri, Krigelii, Dresigii,
 Ernestii, crevit annis octo. Eorum, et praesertim Er-
 nestii, singulare in se studium ac benevolentiam gratius
 praedicat. Ad academiam vertit anno a. c. N.
 CCCCCXXXIII, in ciubus nostris scriptus me re-
 store. Doctores inter nos audiuit philosophiae, et hi-
 storiae philosophorum, et oratoriae caussa, et quaestioni-
 bus doctrinae colloquio disputandis, Birnbaum: ut sacro-
 rum decreta disseret et litteras Hebraeorum, Bosseckium:
 ut interpretandi sacra artem facultatemque, Crusium: ut
 enarrare atque exponere sciret, Deylingium. Praeterea
 Symbolica theologorum scripta explicanti adfuit Boer-
 nero: historiam catholicam, Ioechero. Quorum omnium
 se doctrina plurimum adjutum gratus ac memor profite-
 tur. Deinde euocatus ad regenda litterarum studia
 generosorum adolescentum a Krolick, quorum sedes non
 procul Salinis Saxonum erat, ei officio praefuit, donec
 eum anno superiore ampliss. hujus urbis Senatus posceret
 vt ludi litterarii Nicolaitani Cantor symphoniacorum cho-
 ros regerer, ingenuarumque artium disciplinae Collega
 quartus, mox euocato in superiorum coetus Ortlobio ter-
 tius, curam haberet. quod beneficium prospicientis in-
 genii suorum curiae gratus agnoscit.

HENRICVS GODOFREDVS MICHAELIS

LEVZA M IS NIC V S

Non procul urbe Lipsia in occidentem vicus distat
 agri, cui vocabulum Leutzsch, vestigium Slauici olim
 fermo-

XIII

sermonis, ut multa in his terris. Ibi sacrorum curae crediti fidelium gregis pastor praecest pater Godofredus artium magister, qui hunc filium suscepit anno aetatis nostrae xxxi, ex vxore Henrica Iohanna gentis Zipfeliae, quae in hac vrbe claruit. Aius enim maternus nostri iureconsultus hic inter honoratos fuit. Mater infanti fatis crepta. pater, qui supereft, filium litteris et sacrorum scientia partim adscito magistro, cui nomen Heidrich, nunc sacrorum curae ipso quoque admoto, partim sua opera instituendum suscepit. Ita praeparatus ad nos accessit a c. n. CIOCCXXXVII, ciuitati bonae mentis ac litterarum insertus rectore Winclero. Doctores inter nos, post breuem peregrinationem Berolinum versus institutam, sectatus est philosophiae omnis, Winclerum ac Mullerum quoque: matheleos, Kaefnerum: litteraturae Latii, Romae que veteris rituum, Kappium et Ernestium, me que: Graecarum litterarum et historiae philosophorum, rursus Winclerum: historiae catholicae, Ioecherum: sacrorum historiae, Wernsdorffium et Wogium. Theologiae in studiis auditor adfuit Hebenstreitio et Sanckio, qua decreta sacrorum: qua legem verae interpretationis Deylingio ac Stemlero: qua docendi explrandi que profectus modum, Kieslingio. Disceptandas quaestiones colloquio eum docuit Kaefnerus: algebram, quam dicunt arithmeticæ expeditioris rationem, Heinrius. Secundum quae ante hos duos annos Philosophiae Baccalaureus ordinis nostri decreto est dictus: superiore que anno publice recitationes more e maioribus tradito feriis canicularibus habuit.

CHRISTIANVS AVGVSTVS HANCKEL

FRANCOHVSA THVRINGVS

Franconusa, nostris quidem vulgaribus litteris Francen-
hausen, Schwarzburgici agri in Thuringis opidum
est, vetustam clari sedem aut castra populi, cuius pars olim

B 3

Thurin-

XIII

Thuringi, nominis impositi sententia fassum. Ibi patre
sacerorum auctoſtite Synedrii que allecho, cui nomen Io-
hanni Augusto, matre Guilelmina Eleonora Werneria na-
tus anno ſaeculi praeſentis xxviiii, priuata partim inſti-
tutione, partim in ludo patriae, litterarum et artium rudi-
menta hauiſt sub magiſtris Vuachſmano, qui nunc ſacris
curandis adhibitus, Tebelio, Borckio, Schumanio: quo-
rum fidem ac doctrinam laudat, vt parentum quoque in-
primis egregiam in ſe educendo prouidentiam. Inde fa-
ctum eſſe, vt exceſſurus ex ephebis Brunsuigam urbem ad-
iret Collegio discipline artium Carolino additus. Vbi
magiſtris quum vſus eſſet Harenbergio, Reichardo, Oedero,
Seidlero, quos laudat, aliquo tempore Gottingam ſe con-
tulit doctores ſectatus Heumanum, Koelerum, Gesne-
rum, Holmanum, Vuaehernum, et, quum iurisprudentiae
discendae animum adieciſſet, Gebauerum, Bochmerum,
Claprotum. Etiam ſodalitate receptum ſe eſſe eorum,
qui Theotiscae litteraturae facultatem exercere profiten-
tur. Deinde aliquo tempore in patria cum parentibus ex-
acto ſe animum induxiſſe, singulari ſacerorum tradendorum
amore captum, vt theologiae ſtudia ſequeretur, cuius ve-
lut initia olim pater tradidiſſet. Hoc proposito rurſus
Gottingam vertit ibi que auditor ſcholarum, quae ad id
conferrent, adſuit Moshemii, Kortholti, Kraftii, Vuaeher-
neri, quorum omnium praedicat fidem ac doctrinam. Sed
interea quum graui morbo correptus eſſet, et curato pru-
dentia Halleri Brendelii que valetudinis recuperandae ratio
aliud coelum posceret, Lipsiam venit anno ſuperiore, cen-
fus in noſtriſ rectore Gottſchedio. Ab eo tempore auditor
adeſt praelectionibus Vuollii, Stemleri, Gottſchedii, Wo-
gii, Boſſeckii, Bacchii, Gloeckner A. M., meis que. Nu-
per ordinis noſtri decretu Philosophiae ingenio ac ſtudiis
ornandaſ Baccalaureus dictus eſt.

PAVLVS



PAVLVS CHRISTOPHORVS FRITZSCH
CIZA MISNICVS

Natus Cizae anno aetatis nostrae xxvii patre Christophoro, qui tabellariis ac viatoribus iuridicorum Confessorii ea in vrbe magister praefest, matre Maria Sophia Iohannis Andreae Gerischii sacris curandis Elsterbergae praepositi filia. Litterarum rudimentis primum domi institutus est, mox liberalium artium disciplinis exercendus publice in ludo patriae meruit sub magistris Leisnero ac Reichardo, quorum fidem ac doctrinam laudat. Lipsiam venit a c. N. CIOI OCCXXXVII, noster factus rectore Winclero. Sectatus est hic philosophiae discendae caussa, Winclerum: super historia litteraria, Ioecherum: super mathesi, Heinsium: super historia sacrorum, Wernsdorfum: super litteris Hebraicis Sanckium et Bosseckium. Theologiae in studiis auditor praesertim adfuit, qua decreta sacrorum exponuntur, et enarrandi modus, Deylingio ac Tellero: qua symbolorum libri cognoscuntur, Boernero: qua oraculorum codex, Stemlero. Quibus auditionibus confirmator, vt studiorum specimen publice ederet, argumenti e sacris petiti quaestionem libro conscripto proposuit, ac moderante Bosseckio de cathedra defendit. Quem librum nomini Borniano Viri summi, qui nunc ciuitatem Lipsiae consul regit, inscripsit. Secundum ea Philosophiae Baccalaureus ordinis nostri decreto superiore anno dictus est.

CAROLVS GOTTLLOB KVTTNER
ANNAEBERGA MISNICVS

Natus Annebergae claro in montanis Misniae opido anno aetatis nostrae xxviii, patrem habuit Iohannem Andream, qui acuum fastigiandarum artificio, quarum pro fibulis fere in vestimentis vsus est, se familiam que alebat. Eum puer admodum fato erceptum emisit. Matre vtitur Iohanna Concordia Christophori Hugonis mercatoris

XVI

catoris ea in vrbe filia, quae, secundis votis quum nupisset Godelibio Vhligio idem artificium fabrile exercenter, vitrici quoque vt experiretur fidem ac pietatem, quam laudat, fecit. Ceterum cura matris idoneis se magistris traditum memorat, vt litterarum et sacrorum rudimenta disceret. In his appellat Kemna, Roschium, Brucknerum, Mullerum, Reinuardum, Richterum, et, qui sacris patriae diaconus curandis praecepsset, Matthesium. quo praeferunt auctore, benevolentia eius et meritis in se usus, litterarum studia suscepisset. Richtero autem praeueente Hebraicis et Francogallicis litteris discendis operam se pro aetate dedisse. Lipsiam adiit anno saeculi praesentis XXXXVII census in ciuibus nostris rectore Kappio. A quo tempore philosophiae in studiis sectatus est Crusium: mathecois in partibus, Heinsum: Romae veteris vt ritus nosceret, Ernestum: vt historiam, vt res patriae, vt philosophorum vidas, Ioecherum. Eo quoque, cui plurimum debeat, et Leichio se ysum fuisse, et Wogio, et Baiero, in rei litterariae et sacrorum historia. Quum theologiae ad studia conuersus esset interpretandi codicis sacrorum sibi rationem tradidisse Deylingum et Crusium: decreta sacrorum et controvierias, et muneris futuri prudentiam, et Symbola patrum doctrinae, Tellerum, Crusium, Hebenstreitium, Deylingum, Boernerum: morum e sacris formulam ac declamandi usum, rursus Crusium ac Ioecherum. Hebraicas litteras eum docuerunt, et Chaldaicae linguae rationem et accentus, Hebenstreitius ac Bosseckius. Ingenium quaestionibus soluendis et colloquio academico disceptans acut duetu item Deylingii, Hebenstreitii, Crusi, quorum singularem in se fidem et benevolentiam gratus praedicat, vt Quellmalzii quoque, et Rechenbergii, cum in viuis esset, Menzii que. Secundum ea superiore anno primam philosophiae studiorum lauream ordinis nostri decreto tulit.

IOHAN.

IOHANNES CHRISTFRIED MVLERTVS

BVRGOCHEMNICO MISNICVS

In agro Misniae montanae vicus est, cui vocabulum Burgchemnit, vbi cum sacris crediti fidelium gregis pastor praef esset pater Iohannes Dauid artium magister, hunc filium tulit anno saeculi praesentis xxvi, ex vxore Catharina Sophia Christiani Vogelii, qui item sacra in agro prope Parthenopolin curavit, filia. Horum parentum cura, quum pater eum litteras et sacrorum initia doceret, sibi bene prospectum memorat, donec Lipsiam deduceretur, quod accedit anno xxxx, ludo litter. Thomano instituendus traditus. In eo septem annis altus meruit sub magistris Ernestio, Hulsiio, Krigelio, Mathefio, quorum omnium fidem ac benevolentiam gratus ac memor praedicat. Ad rem nostram transit a C. N. cīciōcxxxxvi, inter studiosos bonae mentis et artium ciues census rectore Kap pio, secessatus que ab eo tempore humanitatis et antiquitatis eruditiae rerum doctores eum, et me Ernestium que: Graecae litteraturae, Vuinclerum: Hebraicae et Chaldaicae, Hebenstreitum, Sankium, Bosseckium: philosophiae, Mullerum: rhetoricae ac dialecticae, Maium. Quorum laudat, praesertim eorum, quos humanitatis duces habuerit, et Vuincleri, prolixam in se benevolentiam. Historiam yniuersam et secessas vitas que philofophorum se didicisse ait praeante lochero: rei Christianae antiqua, Vuernsdorffio; cuius etiam voluntatem in se laudat: sacrorum decreta et controuersias Tellero, Hebenstreitio, Sanckio: interpretandi sacra modum, Boernerio, Deylingio, Stemlero, Crufio, Ernestio praeceptoribus: et mores et sacris formandos, rursus Crufio: in symbolis doctrinae cognoscendis, Boernerio: prudentia futuri muneris Deylingio. Declamandi vsum eum docuit Vuollius: disceptandarum per colloquia quaestionum, Deylingius ac Hebenstreitius. Quibus omnibus, atque in primis Hebenstreitio, se obstrictum beneficio proficitur.

C

IOHAN-

XVIII

IOHANNES DANIEL TITIVS
CONICIENSIS PORVSSVS

Clara rebus et annalium fide vrbis in Porussis Conicum. Ibi natus patre Iacobo, qui curiae inter decuriones praeesset, mercaturam que exerceret, matre, cui nomen Hanouiae, antistitis sacrorum in Pomeranis filia, anno aetatis nostrae XXVIIII. Prima eum litterarum rudimenta aius maternus docuit, mox reuocato in patriam Malkius et Forsnerus magistri. Deinceps vtroque orbatus parente Gedanum puer admodum venit, vt ab auunculo, qui in gymnaſio litterario ea in vrbe professor artium meret, benigne curaretur. Sic in ludo litterario primum Kemna et Wokenio magistris, mox in Gymnasium receptus, Verportenio, Willenbergio, Lengnichio, Kulmo, Sendelio, Wernsdorffio, Kuhnio, Hanouio, ducibus fidis humanitatis et artium praecepta bonarum didicit. Inter quae etiam controuersias per colloquia disputandis velitatus librum publice proposuit sub auunculo defendendum *de Igne Graeco*: et aliis nonnullis breuioribus scriptis ingenium publicare coepit. Lipiam adiit a C. N. CI O CCC XXXVIIII, ciuium nostrorum ordini adscriptus rectore Vuinclero. Ab eo tempore iuris ciuilis ac beneficiarii cognoscendi studii doctorem habuit Godofr. Mascouium, cuius prolixim in se voluntatem laudat, et praeterea Paulium: historiae fabularis et rei litterariae percipienda cauſa, me quidem et Ioecherum: super facultate stili litteris Latinis, Kap-pium: super mathesi, Heinsum et Kaestnerum: super oratoria et poesi, Gottschedium: super Graeca litteratura Wogium: a quibus omnibus benevolenter se habitum gratus profitetur ac memor officii. Controuersias per colloquia velitando traſtaſe ait prauentibus Mascouio et Kaestnero: etiam scriptis nonnullis proſa et vorsa publicandis et ver-tendis enarrandisque argumentis alieni ingenii operam subinde posuisse. Secundum quae nuper philosophiae ornandaे Baccalaureus ordinis nostri decreto dictus Orationem in ea panegyri Graecam speciminis loco habuit.

CHRI-

XVIII
CHRISTIANVS GOTTHILFF KIESLING
WERDA MISNIVS

Prope Cygneam vrbum ad occidentem aestuum Verda est opidum Plissae ad flumen , aut fortassis in flumine olim situm , qua Werda vocabulum , vel Werder , insulam in flumine natam Theotiscis litteris designat . Ibi vnguentis medicamentis que arte parandis Pharmacopoeus pater quin viueret a c. n. CCCCCXXIIII hunc filium suscepit ex vxore Margarita Catharina Fritschia . Prima litterarum rudimenta in ludo patriae didicit Foerster et Henkelio magistris . Deinceps Cremam Misniae adiit , in ludo principalis munificentiae ampliore alendus , meruit que in eo annis sex vsus disciplinis ac fide Schumacheri , Parskii , Vlischii , Opitii , Haupti , magistrorum , quorum in se instituendo gratus operam laudat . Lipsiam adiit anno saeculi praesentis xxxx , testimonio ornatus eorum , quibus antea magistris addicatus esset , census in nostris rectore Clusingio . Hic mathesin et philosophiam omnem vt disceret Vuinclero se auditorem adfuisse ait : vt artem medicam , Plattnero , Hebenstreitio , Quelmalzio , Gunzio , Ludeuigio , Plazio , Boehmero : quorum omnium doctrinam ac voluntatem grato celebrat animo . Praesertim Ludeuigii benevolentiam auctoritatemque re et consilio sibi plurimum profuisse memorat , eoque se ei obstrictum et Hartranftio , qui singulari fide Clinices usum ostenderet , fatetur . Ingenii et facultatis aliquod experimentum vt ederet , de Plantis caule bulbifero librum publice propositum , moderante de cathedra Boehmero , defendit , ac deinde medicinae baccalaureus est dictus , in quo , et in aliis multis eventis , stipendio etiam nostrae studiorum militiae , Waltheri legato ac prouidentia , adiutus , excubantis pro sua salute benefici numinis certa signa agnoscit .

C 2

POLY-



XX
POLYCARPV AVGVTSVS LEISCHING
LONGOSALISSA THVRINGVS

Natus Longosalissae, quod nostris patriae litteris Lom
gensalibz clarum neque infrequens in Thuringis op
idum est, a c. n. C1910CCXXX patre Andrea Christiano
magistro artium, qui sacris ibi curandis diaconus praefectus,
matre Martha Maria Schmidia mercatoris et curiae ibi re
gendarae decurionis filia. Litterarum et sacrorum rudi
menta primum domi didicit, deinde anno aetatis XIII
in gymnasium patriae litterarum deducetus, sub Olpio et
Klipgenio magistris artium, qui ei rei praerant, disci
plinis operam dedit. Lenam adiit anno saeculi praesentis
XXXXVII, mox Lipsiam se contulit anno eodem, in ci
vium nostrorum tabulis relatus rectore Ioechero. Se
cundus inter nos doctores humanitatis ac litterarum causis
Ernestum: in omni philosophia cognoscenda, Crusium:
historiae vniuersae studiis, Ioecherum: sacrorum ut hi
storiam disceret, Beierum: Hebraicae litteraturae in fa
cultate, Hebenstreitum: theologiae nomine decreta se
percepisse ait praeeuntibus Tellero et Crusio: Symbolo
rum doctrinae libros, Boernerio: morum e sacris formu
lam, rursus Crusio. Prudentiam futuri muneris ut no
tam haberet, Deylingum se adiisse, ut controversias su
per capitibus doctrinae, Stemlerum. Quorum omnium in
se studia gratus laudat et voluntatem.

CHRISTIANVS HENRICVS GOTTLIBIVS
WEBER
SLEOSINGA FRANCVS

Prope Sleosingam in Francis Enebergici agri urbeim ad
aedem indigetis Kiliañi, quum sacra curaret pater no
strri Iohannes Daniel, hunc filium suscepit anno saeculi
praesentis XXVIII ex vxore Margarita Sophia Hunnesha
gia. Litterarum elementis priuatim domi institutus Slo
singae

singae gymnasium litterariorum adit, in que eo crevit annis octo sub disciplinis magistrorum Mulleri, Walchii, Hausmanni, Anschuzii, Langguth, Sauerbrey, Lenzii: quorum omnium curam et fidem gratius praedicat. Lipsiam se conuerit a c. n. CIOCCXXXVIII, inter ciues nostros adscriptus me rectore. Ab eo tempore studiis facrorum addictus doctores inter nos sectatus est litterariorae Hebraicae caussa, Hebenstreitum ac Boisseckium: sedis philosophorum cognoscendis, Ioecherum: sacrorum historia et antiquitate rei Christianae, Wogium et Wernsdorffum: decretis sacrorum, Tellerum ac Wollium: quaesitis super eorum doctrina, Deylingum: interpretandi praeceptis, Crusium: in aliis, super actis Apostolorum, ac declamandi vsu, Wollium. Symbolorum coetus nostri libros cognovit praeuentibus Boernerio ac Baradio: futuri muneric prudentiam, Deylingio: controvierias colloquio disceptandas, Hebenstreitio: cuius praeferunt benevolentiam, ut reliquorum quoque fidem ac doctrinam, praedicat. Philosophiae discendae caussa auditor adfuerat scholis Mulleri ac Wineleri, qui physicem experimento rerum declararet: logicae ac rhetoricae in praeceptis Maium se ait praeferunt secutum, cui plurimum debeat ob singularem fauorem auctoritatem que reata suadendi. Gratum quoque ac memorem se agnoscerre beneficia domus Homaniae, in quam benevolenter addicitus filium Viri ill. instituendum litteris liberalium que artium disciplinis iam inde ab aliquo tempore suscepit.

JOHANNES MICHAEL SCHMIDT

MEININGA FRANCVS

Meininga clarum neque infrequens et commodo situ in Francis Enebergici agri opidum, et sedes inde aliquo tempore Ducum Saxoniae, hunc ciuem suum edidit a c. n. CIOCCXXVIII, patre cognomine, qui officinam faber ferrarius, quales ferarum ingenia subtiliter struunt,

C 3

exer-

XXII

exercuit: matre, Anna Magdalena Grolockia. In re tenui parentum et migratione in aliud opidum, modo litteris discendis, modo artificio patris adhibitus, tandem auctoritate ac benevolentia virorum prudenter retractus ad litterarum studia, in his adquieuit. Eorum nomina gratus memorat, Reitzii, qui sacris, et Prechtlini, qui ludo loci eius, Marcoberytæ vocabulum est, praeesset. Sic fauore talium virorum et beneficiis adiutus, litteras ibi artesque et in his musicen didicit. Mox Winsemii, aliud Francorum nostrorum opidum est, gymnasio litterario suafòre Dielzio, moderatore eius, receptus profecit, donec occasio Lipsiae adeundae se ostenderet anno aetatis xxxviii, quam cupide arripuit, census in nostris rectore Gottschedio. Doctores inter nos habuit philosophiae quidem omnis, Crusium, cuius benevolentiam in primis laudat: in historia sacrorum et catholica, et in antiquitate sacrorum, Wernsdorffium, cui item plurimum se debere ait: in sectis philosophorum cognoscendis et rei litterariae historia, Ioecherum: super litteris Latinis, me quidem: super poetica et canticis Theotiscis, Gellertum. Theologiae in studiis auditor adfuit, quantum ad symbolica monumenta, Boernerio: in prudentia futuri muneric noscenda, Deylingio: super sententia sacrorum, et super decretis, aliisque quae sacrorum interpretem ornant, Hebenstreitium, ac rursus Crusium. In quibus omnibus, quum e re tenui orbatus etiam parentibus varioque discrimine tentatus emerserit, mirificam vim benigni numinis prudentialiae agnoscit.

IOHANNES BERNHARDVS REMBOWSKI

VRATISLAVIA SILESIUS

Natus in vrbe Vratislavia anno saeculi praesentis xxviii, patrem habuit cognominem, qui iuris vtriusque doctor et caussarum patronus curiae Vratislauensi ac tribunal

nali regio Silesiae que supremo allegatus esset, filius autem Andreae, qui senator ac Notarius Boianowae Regi Poloniarum Augusto II potentiss. quondam secretarius meruerit. Matre vtitur egregie de se merente Eua Christiana Waltheria, filia Iohannis Antonii, qui primicerius secretariorum senatus vrbis Vratislauiae esset. Quum patrem vix ingressus pueritiam amississet, matris cura, vt litterarum sacrorumque rudimentis recte institueretur, enituit. Ita gymnasio litterario patriae Elisabetano adscriptus, sub magistris Leisnero, Girschio, Iohnio annis quatuor profecit: mox theologiae in studiis adfuit Burgii, qui se singulari fauore amplexus sit, ac Schurzmani, Weinissi, Stieffii, Deichselii, Leisneri, quorum fidem ac doctrinam laudat, scholis. Lipsiam se adeundam suscepisse memorat beneficiis adiutum Virorum ill. Waltheri et Loeuuii. Venit autem in hanc vrbem anno aetatis nostrae XXXXVIIII, noster factus rectore Winclero. Doctores inter nos ab eo tempore sectatus ut philosophari disceret, Winclerum: vt historiam rei Christianae, Wernsdorffium et Leichium: vt Hebraicas litteras perciperet, Sanckium: vt sacrorum decreta et oraculorum sententiam, Wollium et Crusium: vt Symbola, Boernerum. Moribus e sacrorum formula emendandis facem praetulit Bardius: futuri muneris prudentiae, Deylingius: historiae litterariae, Ioecherus: mathesi, Kaeftnerus: iuri sacrorum, Gutschmidius: oratoriae exercendae, Gottschedius: quibus omnibus multa se debere. Praesertim vero laudat non modo scholas Hebenstreitii nunc Rectoris magnifici, quibus egregie se adiutum fatetur, sed auctoritatem eius et fidem ac benevolentiam, quibus regi vitam sua et studia grato animo lumbens merito agnoscat.

IACOBVS FRIDERICVS GERINGVS LIPSIENSIS

Natus in hac vrbē a C. N. CIOCCXXXIII patre Friderico mercatore, matre Dorothea Sophia Vuolfsia, cuius

StT d 252

x 2380408

XXIV

ius pater artem medicam vulneribus Chirurgus fecit. Pater nostri quum ante annos decem viuere desisset, nupsit mater votis secundis Ioh. Godelibio Vuagnero mercatori Lipsiae, cuius in se singularem benevolentiam gratus laudat. Eorum cura domi primo sub idoneis magistris se institutum creuisse disciplinis ait, inter quos fuisse Steyerum Magistrum artium, nunc sacris curandis in agro prope Dresden praefectum. Deinde ludo litterarum Portensi operam dedisse, meruisse que ibi doctrina magistrorum ornatus, Freytagii, Amende, Hofmani, Peuceri, Hentschelli, Geisleri, Heumanii, Egenolfi, Hubichii: quorum omnium fidem laudat ac voluntatem. Lipsiam rediit anno aetatis nostrae XXXXVIII, nomen inter ciues bonae mentis nostros professus rectore Vuincero. Inde ei philosophiae discendae causa auditor adiutus et Kaestnero, et Gloecknero: theologiae in studiis, Deylingio, Sanckio, Vuollio, Stemlero: quorum omnium studio ac doctrina plurimum iuvari.





FH.135.

75

SCRIPTIONIS BONA ET RATIONEM
XIIII. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS
QVI MAGISTRI CREANTVR

RECTORE MAGNIFICO
IOH. CHRISTIANO HEBENSTREIT
SS. THEOLOGIAE DOCTORE AC PROFESSORE
PVBL. ORD. MAIORIS PRINC. COLLEGII COLLE-
GIATO ET NVNC PRAEPOSITO MAGNO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISS
GODOFREDO HEINSIO
MATHES. PROF. PVBL. ORD. ET MINORIS
PRINC. COLLEGII COLLEGIATO

DECANO SPECTABILI
IOHANNE FRIDERICO MAIO
MORAL. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD. ET MAIORIS
PRINC. COLLEGII COLLEGIATO

CARMINE SOLEMNI ITERVM LAVDAT
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

D. XXIIII. FEBR. A. C. N. CIOI OCC LII

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



II d
252